

Ad hæc subjunco epistolam responsivam ad me rescriptam a reverendiss. abbate d. Bartholomæo de Marco Basiliano (cui hæc epistolam meam perpendendam misi), viro quidem maximi pro ejus doctrina habito, tum apud ipsius religionem, quæ præstantissimis muneribus eum decoravit, tum etiam quoquoersum Neapoli et Romæ etc. magistro in sacra theologia, quam ipse per plures annos cum omnium plausu docuit, et 30. aut 40. annos in excipiendis confessionibus exercitato. Ego animi pendebam utrum huc asserere deberem nec ne sequentem illius epistolam; sed mihi consilium datum est, ut duobus ex motivis id efficerem, 1. ut omnibus notum fiat me, ut cautius agerem, et ne proprii sensus a hæcione deciperer, prout jam me deceptum autumat meus adversarius, semper solitum fuisse aliorum doctorum consilium exposcere: 2. ut patefaciam quam tum de mea, tum de opposita sententia, ceteri præstantes viri existimationem habeant. Epistola est sequens:

Reverendiss. Padre, Sig. e Pad. Col.

Da molto tempo fa ebbi la consolazione di leggere la sua erudita dissertazione sopra l'imprecazione dei morti, sostenendo che non sia colpa grave il maledirli, siccome tal è il sentimento mio e delle persone più saggie, colle quali su di ciò ne ho tenuto spesso discorso. Ora per sua bontà mi manda la risposta fatta ad un suo contraddittore, nella quale ho ammirata la sua dottrina, e aggiungendo ragioni a ragioni l'ha resa quasi dimostrativa, nè saprei con qual fondamento il suo contraddittore difenda che sia colpa grave, sembrandomi i motivi addotti da lui di niun momento, conforme li lessi in un libretto mandato dai medesimo alle stampe, e che V. S. Reverendiss. gli ha sodamente confutati, e presentemente li confuta. Certamente io non comprendo come possa esser peccato

mortale il maledire i morti. Lodo poi la sua moderatezza in chiamar probabile questa sentenza, che cioè non esser colpa grave la bestemmia de morti; dovea più tosto chiamarla moralmente certa, e per conseguenza l'opposta, che si difende dal suo contraddittore, moralmente falsa, e di debolo e tenue probabilità.

Io dunque non ho avuto nè che togliere, nè che aggiungere, nè che mutare della sua dotta scrittura: e prego il Signore, che illumini la mente del suo contraddittore, e di alcuni pochi compagni, che fan pompa di trovar la colpa in ogni piccola azione. V. S. Reverendiss. intanto non si arretri di mandar alla luce l'accennata apologetica risposta, che ne sarà applaudita, come ne fu in tutte l'altre sue opere. Mi raccomandando alle sue orazioni, e facendole riverenza con ogni rispetto le bacio le mani.

Di V. S. Reverendissima

Mater Domini 14. giugno 1738.

Umiliss. servitore, obligat. e divotiss.

Bartolomeo di Marco Abbate.

Subjunco hæc pauca. Præfatus Abbas reverendissimus, ut scribit, videtur supponere a me opinionem meam dumtaxat uti probabilem haberi. Hoc a me dictum non est: dixi tantum quod ad hoc ut affirmari possit, culpa gravi actionem aliquam carere, sufficiens esse quod probabile sit non esse grave. Cæterum nolui judicium fere, utrum mea sententia sit nec ne moraliter certa; cum hoc sapientium judicio committam; sed cæterquin ego illam plus quam probabilem esse duxi et duco.

Nuper alia prodiit epistola a lversarii, cui respondere opus esse minime censemus; sufficient quæ jam respondimus. Si autem forte putat adversarius in controversiis eos remanere victores, qui ultimo loco scribunt, hujusmodi victoriam valde libenter illi concedimus.

CAPUT II.

DE JURAMENTO.

42. Quid est juramentum, et quantum sint formæ jurandi.
43. Quotuplex est juramentum.
44. Conditiones juramenti liciti.
45. et 46. An liceat jurare cum æquivocatione.
47. Qui jurat sine animo jurandi.
48. Juramentum non obligat ad illicita.
49. Quot modis tollitur obligatio juramenti.
50. De adjuratione et exorcismis.

42. Juramentum definitur: *Invocatio nominis divini in veritatis testimonium*. Jurat igitur qui dicit: *Per Deum; per Sanctos; per res sacras; per creaturas*, in quibus modo specialiter relucet bonitas, aut potentia Dei, nimirum *per Ecclesiam, Crucem, Sacramentum, Evangelium, animam, celum, terram, etc.* Sed juramentum non facit qui jurat per conscientiam, per fidem suam (non intelligendo fidem divinam), aut qui dicit: *Vivit Deus; Deus hoc videt; Est verum tamquam Evangelium*. Sed hoc de verbis illis *vivit Deus, Deus hoc videt*, intelligendum est, si verba tantum enunciative proferantur, ut aiunt Cajet., Ledesma, etc. apud Salmant. *Tract. 17. cap. 2. num. 25.* Alioquin, si dicantur invocative, sunt vera juramenta; notantque ibi Salmant. cum Azor., Facund., Soto, et Trullench. hujusmodi effata ex communi usu accipi ut invocative dicta, ideoque vera juramenta censerent. Si quis autem diceret: *Juro hoc ita esse*, non reputatur verum juramentum, nisi ille qui exposcit juramentum, peccat expresse jurari per Deum, Evangelium, Sanctos, rem sacram aut per animam; et alter post hujusmodi exquisitionem sibi factam jurat ita esse.

43. Jusjurandum quadruplex est: *Assertorium*, cum asseritur aliquid: *promissorium*, cum aliquid juramento promittitur: *execratorium*, sive *imprecratorium*, cum v. g. dicitur: *Deus in me animadvertat, nisi hoc faciam*: *comminatorium*, cum v. g. dicitur: *Nisi mihi obedias, per Deum efficiam*

ut te pœnitent; dices me non esse, etc. Hinc advertitur, quod in juramento *assertorio* gravius peccat qui asserit falsum. Peccat etiam graviter, qui in promissorio jurat sine animo standi promissis. Dico *sine animo* quia si habet animum servandi promissa, sed postea non servat, et res est parvi momenti; tunc valde probabile est cum Soto, Suarez, Azor., Sanch., Salm., non peccare mortaliter (1); quia in juramento invocatur Deus ut testis voluntatis presentis, non autem futuræ executionis promissæ. Sed hic dubium fit: Certum est, quod si promissio est gravis materia, gravis etiam est culpa eam non implere propter juramentum emissum; cur autem ratione ejusdem juramenti non committatur gravis culpa, si non impleatur promissio materiæ levis, quandoquidem in perjurio parvitas materiæ non admittitur? Sed recte respondetur a Salm. (2) cum Soto, Suar., Castropal., etc., quod, cum quis promissionem juramento firmatam non implet, non jam committit perjurium, sed peccat ob infidelitatem, quam erga Deum operatur, despiciendo in materia gravi divinam auctoritatem, quæ adducta est ad promissionem firmandam; at cum promissio est levis materiæ non reputatur gravis defectio fidelitatis, et contemptus qui fit divinæ auctoritatis. Id firmatur doctrina s. Thomæ, qui sic docet: *Qui aliquid promittit, si habet animum faciendi, non tenetur infideliter agere* (3). Si quis autem juramento promitteret, sed sine animo jurandi, aut se obligandi, graviter peccaret. Nihilominus probabiliter non teneretur promissis, saltem non sub gravi; Sanch., Castropal., Ronc., s. Anton., Salmant., etc. (4). Juramentum vero *execratorium*, cum in eo non invocatus est Deus, probabile est

(1) Lib. 3. n. 472. — (2) Salm. tr. 47, c. 3. n. 53. et 54. — (3) S. Th. 2. 2. q. 410. art. 2. ad 5. — (4) Lib. 3. n. 472. v. An autem.

non obligare sub gravi. Et idem dicendum de comminatorio, imo si pœna comminata fuerit injusta, juramentum nullo modo obligabit (1). Ideoque juramenta parentum puniendi filios, sæpe sæpius non obligant; quia fiunt aut ob res inutiles, aut calore iracundiæ (2).

14. Juramentum ut sit licitum, tres requiruntur conditiones, nempe iudicium, justitia et veritas. *Judicium* significat, ne ex vanitate juretur, sed ex rationabili causa. Defectus autem iudicii non excedit culpam venialem. *Justitia*, ut res jurata sit justa; quare graviter peccat qui jurat facere rem injustam, licet sit leviter injusta. *Veritas*, ut res, quæ juramento asseritur, sit moraliter certa, saltem aliquo modo (3).

15. Hic quaeritur an liceat jurare cum æquocatione? Aliud est mendacium, aliud est æquivocum. *Æquivocum* potest esse pluribus modis, aut cum sermo, aut verbum habet unum sensum litteralem, et alterum spirituale, aut mysticum. *Æquivocum* dicitur etiam restrictio non pure mentalis, quia pure mentalis est omnino prohibita, uti habetur ex propos. 26. damnata ab Innoc. XI. qua generaliter dicebatur licere negare se fecisse aliquid quod revera fecit, dum modo negans intra se intelligat aliquid aliud quod revera non fecit. *Pure mentalis* est cum nullo modo proximus potest animadvertere æquivocum. *Non pure mentalis* est cum ex circumstantiis potest proximus arguere quod tu loqueris, intelligens intus aliud, quam propositio ex se significat; v. g. si aliquid sub sigillo scias, potes dicere: *Nescio*; nimirum nescio eo modo, quo possim illud detegere: prout dixit Jesus Christus, nescire tempus novissimi iudicii: *De die autem illo vel hora nemo scit... neque Filii. Marc. 13. 32.* intelligendo, quod nesciebat uti homo; aut, ut me-

(1) L. 3. n. 134. ad 6. et 143. — (2) n. 186. v. Parentes. et 187. — (3) L. 3. n. 144. ad 150.

lius dicunt Gotti, Tourn. (4), quod nesciebat, ut revelaret. Sic etiam sentit s. Thomas (5): *Dicitur nescire diem, quia non facit scire.* Idem est ac si dixisset, nescio ad manifestandum aliis. Et idem sentiunt s. Joan. Chrysost., s. August., s. Hieron., s. Ambros., s. Athanas., s. Basil. s. Hilar. etc. ut testatur Suarez (6). Pariter illud Christi... *Non ascendo ad diem festum, Joan. 7. 8.* intelligendo manifeste, dum ipse jam occulte se contulit ad templum. Cum ergo justa adest causa, bene possumus licite respondere, imo jurare cum æquocatione, sive restrictione non pure mentali, ut communiter dicunt Soto, Gonet., Palud., Wig., Laim., Carden., Holzman., Salmant., Tournely, Croix, Viva, etc. (7). Adde Adrianum, Cajet, Riccard., Armil., Tabien., Silvest., Soto, et Navarr. (8); quia tunc non intenditur decipere proximum (quod semper est illicitum), sed permittere ut ipse decipiatur, cum nec semper teneamur respondere ad mentem interrogantis. Nihilominus hoc non licet in iudicio quia quisquis a iudice interrogatus legitime tenetur veritatem dicere; quare qui jurat cum æquocatione, peccat contra justitiam legalem (9).

16. Sed extra iudicium dicunt dd. multi, quod si quis jam confessus sit peccatum uni confessario, interrogatus postea ab alio potest dicere se illud peccatum non admisisse, intelligendo non admisisse, ita ut denuo teneatur illud confiteri. Advertatur tamen hic quod quilibet tenetur patefacere peccandi consuetu-

(4) Tourn. de Incarn. quæst. 11. art. 2. v. Quo autem. — (5) S. Th. 3. p. q. 10. a. 2. ad 1. — (6) Suarez t. 1. in 3. p. q. 10. a. 2. — (7) L. 3. ex n. 151. — (8) Adrian. 4. Sent. q. de sig. conf. Cajet. Opusc. 16. resp. q. 5. Riccard. in 4. Dist. 18. Armil. v. Juramentum n. 46. Tabien v. Jurare §. 13. n. 14. Silvest. v. Mendacium q. 6. §. 4. et v. Juramentum qu. 3. §. Licet. Soto de just. l. 5. q. 6. a. 2. Navarr. Man. c. 12. ex n. 8. et c. 18. n. 61. et c. 25. a. 94. — (9) Lib. 3. n. 155.

diem cum interrogatur a confessario, ut constat ex propos. 58. damnata ab Innoc. XI. Ita etiam si quis pauper habet unum panem, requisitus ad mutuandum panem, potest dicere se non habere (1), quia ex circumstantia paupertatis bene possunt alii arguere, quod ille loquitur in alio sensu, nempe quod non habeat tantum ut possit alii dare. In his et similibus tutius erit respondere: *Utinam et haberem!* aut *Et quis hoc habet? Et ubi reperitur panis?* (2).

17. Si quis jurat sine animo jurandi, et sine animo standi promissis, procul dubio peccat graviter. Si contra jurat cum animo standi promissis, sed sine animo jurandi, probabile est quod tantum venialiter peccat, quia tunc nulla alia adest culpa, quam in vanum Deum nominare. Et idem est, si jurat sine animo se obligandi, quia talis promissorium, nec vera promissio, sed potius jurat se nunc habere voluntatem dandi. Si autem jurat sine animo adimplendi, sed vero animo jurandi, tunc peccat graviter, et tenetur ad promissa, licet non habuisset animum se obligandi, quia tunc obligatio oritur ex ipso juramento, quod ob divini nominis reverentiam obligat ad verificandum quod juratur, modo ille sciat obligationem juramenti, quod revera non obligat præter intentionem jurantis, ut dicit s. Thomas (3).

18. Juramentum nunquam potest obligare ad faciendum illicitum; et ita nec ad implendum inutile, aut quod impedit majus bonum, ut si res esset contra consilia evangelica. Advertendum tamen quod, cum juramentum est factum in favorem tertii, tunc adimplendum est semper ac potest sine peccato. Hinc qui jurat solvere usuras, aut dare bona sua latroni, tenetur ea præstare, licet postea possit compensationem facere (4).

(1) n. 163. — (2) n. 153. et seq. — (3) Vid. lib. 3. n. 172. v. Quæritur. — (4) n. 177.

Et est probabile etiam cum Sanch. et Lacroix, quod tunc potest jurasse daturum fore, subaudita conditione, nisi obtineat a prælato relaxationem juramenti; itaque ea obtenta, non amplius tenetur (5). Quod si promissio irrita facta fuisset a jure ob bonum commune, ut esset promissio facta concubinæ a clerico, aut renunciatio fori ecclesiastici, aut juramentum timore extortum pro religiosa professione, aut pro matrimonio, aut sponsalibus; tunc plane juramentum est nullum (6). Cæterum omne juramentum intelligitur factum sub sequentibus conditionibus: 1. Si ille cui promissio facta est, eam acceptet, aut non eam remittat. 2. Nisi status rerum notabiliter mutetur; aut nisi adsit aliqua circumstantia, quæ si prævisa fuisset, juramentum præstitum non esset. 3. Si non cessat causa finalis, ob quam promissio facta est. 4. Si altera pars observat, quod pollicita est. 5. Nisi Superiores prohibeant quominus promissio executioni detur (7). 6. Si promissio adimpleri potest sine gravi damno (8). Hinc si promittis secretum, non teneris ad illud non aperiendum cum gravi tuo damno. Si autem promittes secretum servare etiam cum periculo vitæ, probabile est te non teneri (9). Item etiamsi promittis te secretum non proditurum in medendis morbis, non teneris illud celare cum cæteroquin aliquis esset in gravi periculo mortis (10).

19. Quomodo tollitur obligatio juramenti? 1. *Irritatione*, quæ potest fieri a quolibet, cui est potestas dominativa, ut est pater, Prælati, Abbatissa, tutor, etc. et hoc etiam, licet sit in præjudicium tertii, in illis contractibus qui ab ipsis Superioribus irritari possunt (11). 2. *Dispensatione*, aut *commutatione*, quæ potest concedi ab illis in quibus resi-

(5) n. 172. in fin. — (6) n. 177. v. Alter. — (7) Lib. 3. n. 180. 187. et 188. — (8) n. 183. — (9) n. 971. v. Hoc quoad — (10) n. 183. v. Juramenta. — (11) n. 18.

det talis potestas dispensandi aut commutandi vota (1). 3. *Relaxatione*, quæ potest fieri a Prælati ecclesiasticis cum suis subditis, et etiam a delegatis, qui possunt dispensare vota (2). Hic notetur 1. quod jusjurandum datum in tertii beneficium potest relaxari ab eodem tertio, ut docet s. Thomas (3) cum communi. Et hoc (ut dicunt multi dd.) etiamsi jusjurandum sit exhibitum in honorem Dei, cum tota promissio vergitur in tertii utilitatem, v. g. monasterii, ecclesie, aut pauperis (4). Notetur 2. quod ad irritationem nulla requiritur causa, bene vero pro dispensatione, commutatione, et relaxatione (5). Notetur 3. quod cum promissio jurejurando firmata est, et a tertio acceptata, non potest ab alio relaxari, nisi ab eodem tertio, cum intercedit contractus. Unde fit quod jusjurandum, sive votum perseverantiae, quod præstat in aliquibus congregationibus, ut in venerabili congregatione patrum missionis s. Vincentii a Paula, in nostra minima SS. Redemptoris, non potest ab aliis relaxari, nisi a Papa, aut Superiore majore congregationis; tale enim jusjurandum (sive votum) assumit naturam contractus, qui intercedit inter subjectum, et congregationem, dum congregatio se obligat ad sustentandum, et ab instruendum illum, et contra subjectum se obligat ad inserviendum congregationi: et ita declaravit N. SS. Pontifex Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, §. 32. sub die 25 novembris 1748, et idem confirmavit in alia Bulla *Inter præteritos*, §. 5. n. 66. die 3. decembris 1749. (6) Denique notetur quod promissio jurata, etiamsi sit acceptata a tertio, potest relaxari a Superiore, cum illa esset in præjudicium sui juris, aut in damnum commune, aut cum jusjurandum timore extortum esset (7).

(1) n. 190. — (2) n. 192. — (3) 2. 2. q. 89. a. 9. ad 2. — (4) n. 193. — (5) n. 192. — (6) L. 3. n. 255. v. Notandum. — (7) n. 192.

20. Hic etiam theologi loquuntur de *adjuratione*, quæ fit, cum aliquis adjuratur sive obsecratur Dei nomine, ut respondeat; aut ejus nomine imperatur, ut sit in exorcismis cum energumens, sive a demone vexatis, qui exorcismi bene possunt in privato fieri a quolibet, sed solemniter dumtaxat ab Ecclesie ministris ex licentia Ordinarii. Et qui unquam tali fungitur officio, caveat ne exquirat vana et curiosa, sed utatur præfatis exorcismis tantum ad evitanda damna, et ab liberandum energumenum a demonis vexatione (8).

CAPUT III.

DE VOTO.

21. 22. et 23. *De animo se obligandi.*
 24. *De materia possibili, et meliori.*
 25. *De voto emisso ob pravam finem.*
 26. *De voto non impetrandi dispensationem.*
 27. *Nubendi.*
 28. *De non vovendo.*
 29. *Nonnulla digna notata.*
 30. *De voto conditionato.*
 31. *De voto disjunctivo; et de eo qui immemor voti satisfacit.*
 32. *Si tempus elabatur.*
 33. *De culpa in differendo.*
 34. *De voto religionis.*
 35. *De materia mutatione.*
 36. et 37. *De irritatione.*
 38. *De commutatione.*
 39. et 40. *De dispensatione, et ejus causis.*
 41. *Si votum fuerit emissum in tertii utilitatem.*
 42. ad 44. *Quinam dispensare possunt.*
 45. ad 49. *De votis reservatis.*
 50. *An Papa possit dispensare in votis solemnibus.*

21. *Votum definitur: Promissio facta Deo deliberata de bono possibili et meliori.* Explicatur definitio. Dicitur 1. *promissio*: intelligitur promissio facta cum animo se obligandi, et quidem obligatione gravi, ad differentiam meri propositi, quod ex se loquendo ne obligat quidem sub levi. Quare votum emissum sine animo promittendi, nec se obligandi est omnino nullum. Contra tenetur quidem ad votum qui vult promittere (8) post. n. 193. Append. de Adjurat.

et se obligare, licet nolit illud adimplere, aut vult promittere et satisfacere, conscius voti obligationis quamvis reflexe ad eam non advertat: nam qui vult antecedens, vult etiam consequens (1). Si quis autem vellet promittere, et non se obligare dicimus istum peccare, sed juxta probabiliorem non teneretur ad votum, licet conscius esset voti obligationis, quia cum debitum oritur a propria voluntate, nemo ligatur, nisi habeat voluntatem se ligandi. Et tale peccatum (subjungimus) regulariter loquendo non esset nisi veniale; nisi hoc contingeret in profitendo religionem aut susceptione Ordinum sacrorum: nam tunc utique esset mortale; Less. Sanch. Suar. Salm., etc. (2). Ino si quis ordinaretur sine animo se obligandi ad castitatem, iste remaneret ad illam obligatus, saltem ex præcepto Ecclesie (3). In dubio enim de voluntate se obligandi præsumitur ordinarie illam adfuisse in quolibet voto quod emittitur. Et idem procedit si dubitatur an advertit ad obligationem voti, ex regula generali quod *quilibet actus presumitur rite factus*. In dubio vero, an promissio fuerit votum, an propositum, dicimus quod tunc præsumitur fuisse votum, quando ille recordatur credidisse se peccaturum, nisi adimpleret quod promisit (4).

22. Dicitur 2. *Deliberata*, dum ad voti obligationem primo requiritur perfectus usus rationis. Quare votum pueri, si illud fuerit emissum ante septennium, non obligat, nisi constet de usu rationis: sed si emissum fuit post septennium, in dubio obligat, quia tunc bene præsumitur adfuisse perfectus usus rationis, juxta id quod communiter contingit. Et idem dicendum in dubio an votum fuerit emissum ante, an vero post septennium, ex regula *in dubio an votum fuerit emissum ante, an vero post septennium, ex regula mox tradita, quod omnis actus presumitur rite factus* (5).

(1) L. 3. n. 201. — (2) n. 201. Quar. II. — (3) Lib. 6. n. 809. Dubit. 2. — (4) L. 3. n. 201. Quar. III. — (5) n. 196.

23. Item requiritur plena et libera deliberatio, qua velit se obligare voto; ideoque votum emissum ex metu injuste ab aliis incusso ad votum extorquendum, illud est nullum, et non solum si votum est solemne (quod certum est) sed etiam si est simplex, juxta probabiliorem (6). Ita etiam nullum est votum, si emissum est ex errore (licet supino), cum error fuit circa substantiam, aut circa aliquam circumstantiam substantialem. Imo probabiliter dicunt Suar. et Sanch. cum s. Thoma (7), quod quilibet error circa circumstantias accidentales liberat a voto, semper ac votum emissum non esset, si a principio cogitus esset error: *Id liberare (sunt verba Angelici) a voti vel juramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset ea fieri impediret* (8).

24. Dicitur 3. de bono *possibili et meliori*. Dicitur *possibili*, quia alias non tenet votum. Si autem esset possibile tantum in parte, et materia esset divisibilis, esset validum tantum quoad partem possibilem. Et ita etiam deberet adimpleri principale votum, si accessorio non potest satisfieri, sed contra, si principale non est possibile, non est obligatio adimplendi accessorium (9). Item dicitur de bono *meliori*, dum etiam nullum est votum, cum materia est de bono inferiori, aut indifferenti, nisi accederet quod ex circumstantiis redderetur melius (10).

25. Quæritur hic 1. An sit irritum votum ob malum finem emissum? Distinguatur: Si finis est prævus ex parte voventis, v. gr. si quis voveret jejunare, ut ex ipso actu voti humanam laudem assequeretur, tunc est validum. Nullum vero erit, si finis est prævus ex parte rei votæ, ut si quis pronatret jejunium, ut laudaretur in jejunium, aut ut jejunando expensis parceret. Si autem iste voveret, ut a Deo aliquid tem-

(6) L. 3. n. 197. — (7) In. 4. sent. dist. 33. q. 1. a. 3. ad 1. — (8) L. 3. n. 198. et 226. — (9) n. 202. — (10) n. 204.

porale obtineret, aut si finis est positus sub conditione (v. gr. si occideret inimicum), votum est certe validum (1). Item notetur, quod si quis voveret peccatum, licet venialiter, graviter peccaret; quia vellet ut in Dei honorem converteretur quod est illi contumeliæ (2). Et idem dicunt de jurejurando aliquod peccatum committendi; ita Marchant. Turrian. et Elbel. (3); licet persæpe ignorantia excuset rusticos.

26. Quæritur 2. An valeat votum non impetrandi dispensationem? Respondetur affirmative, dummodo non observetur quod dispensatio sit utilior profectui spirituali voventis (4).

27. An valeat votum uxorem ducendi? Ordinarie non valet, licet votum esset ducendi mulierem pauperem, vel meretricem, nisi matrimonium iniretur ad tollendum scandalum, aut ut occurratur honori ablato; aut esto quod homo vellet ducere uxorem aut nollet adhibere alia remedia, ut continens fiat, postquam expertus fuerit suam incontinentiam (5).

28. Quæritur 3. An valeat votum non amplius vovendi? Valet si quis est nimis pronus ad vovendum cum periculo vota postea non observandi. Unde si postea ipse emittit aliquod votum, peccat, sed votum postea emissum remanet firmum: modo intentionem non habuerit ut omnia futura vota sint invalida, et hanc intentionem non revocaverit, prout revocata judicaretur, si ipse memor primi voti emiserit secundum (6). Si quis autem emiserit plura vota incompossibilia, teneretur ad dignius; et si essent æqualia, ad anterius juxta communiorum (7).

29. Deveniendū ad voti obligationem, plura advertenda sunt, et 1. Si materia est gravis, votum obligat sub gravi; sed si quis vellet ad illud se

(1) n. 206. — (2) n. 205. — (3) Lib. 3. n. 146. v. 5. Venialiter. — (4) num. 208. — (5) n. 209. — (6) n. 210. v. Quæritur hic. — (7) Ibid. v. Notandum.

obligare sub levi, probabilius est remanere obligatum sub levi (8). Si vero materia est levis, nemo, licet velit, se potest obligare ad illam voto sub gravi. Quod si quis voveret quolibet die unius anni aliquod leve opus ponere, eo casu, cum votum est emissum *per modum unius, ad sollicitandam obligationem* (ut existimatur regulariter in votis realibus), tunc omittendo opus pro tempore, aut in materia notabili, graviter peccaret. Contra si votum sit emissum in *honorem diei ad finiendam obligationem* (prout existimantur vota personalia, v. g. recitandi *salutationem Angelicam* quotidie) tunc omissiones sunt tantum venialia (9). II. Hæres ex justitia satisfacere tenetur omnibus votis realibus sui testatoris; et hæc sunt solvenda priusquam legata, sed post debita justitiæ (10). III. Licetum est patrifamilias emittere vota realia, licet aliqua ex parte (moderate tamen) læderetur legitima filiorum. Hoc tamen nequit facere in morte, quia tunc debet disponere de bonis juxta legum dispositiones (11). IV. non potest pater obligare filios ad vota emissæ eorum nomine; neque communitas potest obligare subjectos futuros (12). V. Vota personalia debent satisfieri ab ipsomet qui ea emisit; sed realia possunt satisfieri etiam ab aliis (13).

30. VI. Circa conditiones votorum advertendum, quod si sola conditio est turpis aut impossibilis, votum non tenet (14). Si filius voveret, v. gr. jejunare sub conditione consensus patris, ille non peccat, si exorat eum ne consentiat. Peccaret contra, si dolo obtineret ejus dissensum; sed tunc probabilius liber remaneret a voto, quia jam non adimpleretur conditio apposita (15). VII. Qui vovet castitatem sub hac conditione, v. gr. sit Deus per annum eum liberata culpa gravi, et interim labitur: si scienter

(8) num. 213. — (9) n. 212. — (10) L. 3. n. 214. — (11) n. 215. — (12) n. 216. — (13) n. 217. — (14) n. 219. — (15) n. 218.

labitur ut liberetur a voto, peccat iste etiam contra votum, secus si peccat ex fragilitate (1). VIII. Qui vovet, si ludat, se aliquam penam subiturum, sufficit ut prima vice se illi subjiciat; sed si voveat non ludere sub tali pena, tunc quoties ludit, toties dabit penam: excipe tamen si ludendo penitus si! immemor voti. (2).

31. IX. Qui facit votum disjunctivum, et postea eligit satisfactionem alterutrius partis, ad illam tenetur, licet post electionem altera pars redderetur impossibilis. Secus si altera pars redderetur impossibilis ante electionem; nam tunc ad nihil tenetur, dummodo illi mora non eligendi non fuisset culpabilis. Facta nihilominus electione, probabile est quod semper possit eligere partem quam malit (3). X. Qui vovet audire Missam quotidie, probabiliter die festivo non tenetur audire duas. Qui vovet recitare rosarium, sufficit ut recitet tertiam partem: et utique satisfacit si cum socio recitet. Qui vovet jejunare quolibet sabbato, probabiliter non tenetur si eo die accidat Natalis Domini; modo expresse hoc etiam non promiserit (4). XI. Si quis satisfacit operibus voti, quin voti recordetur, non tenetur ad aliud; quia quilibet habet voluntatem generalem prius satisfaciendi operibus debitis, et postea illis ex devotione: ita communissime Lessius, Sanch., Laym., etc. (5). Et generaliter loquendo qui habet rationes probabiles satisfecisse voto, non tenetur ad aliud, ut dicunt Lugo Laym. Ronc. Bossius, Viva et Salm. Card. Bardi, etc. (6). Sed dices, ille est certe ligatus voto, et dubie solutus. At hic distinguendum dubium facti a dubio juris. Si quis emisit votum, et deinde dubitat an factum illud impleverit, tenetur equidem implere; sicut certus de debito et dubius de solutione, tenetur sol-

(1) lb. v. At, si. — (2) N. 223. — (3) N. 224. Not. 3. — (4) Lib. 3. n. 224. v. Qui hic. — (5) N. 224 in fin. v. Si quis. — (6) N. 224. in fine et l. 4. n. 76.

vere, quia dubia solutio non æquivalet debito certe contracto. Sed hic sermo est de jure circa factam, nam sicut constat votum fuisse emissum, sic etiam constat jam impletum fuisse opus promissum. Restat igitur dubium juris, an opere impleto de facto, et extante probabili satisfactione de jure, adsit obligatio satisfaciendi voto? Et hic dicimus, quod facta probabili satisfactione, obligatio juris evasit dubia, et consequenter debia etiam possessio illius; obligatio autem dubia, quæ adhuc dubie possidet, nequit inducere onus præstandi rem certam.

32. Quæritur 1. Si quis vovens jejunare in aliquo die determinato, transacto eo die, an postea teneatur ad votum? Non tenetur si dies est appositus ad *Finiendam obligationem*, quod præsumitur ita esse in votis personalibus, ut supra dictum est. Aliter dicendum si dies est appositus ad *sollicitandum obligationem*, quod præsumitur in votis realibus (7).

33. Quæritur 2. Quanta temporis dilatio requiritur ut differens voti satisfactionem peccet lethaliter? Si votum est perpetuum, ut est votum religionis, peccat graviter (ut dicunt dd.) si differt sine causa ultra sex menses; nam si adolescentulus est, potest ex aliqua justa causa licite differre etiam ad tres aut quatuor menses. Si vero votum sit ad tempus, ut sunt vota peregrinationis, rosariorum, etc. dicunt Castrop., Salm., Trull., Garcia et Croix, peccare graviter, si differt ad duos, aut tres annos (8). Votum indeterminatum (v. g. quotidie recitandi rosarium) intelligitur etiam perpetuum (9). In dubio autem an votum fuerit ad annum, ad mensem, sufficit satisfacere minus ut ex cap. *Ex parte de censibus*.

34. Quæritur 3. Ad quid tenetur qui vovet religionem? Si simpliciter voveat religionem, tenetur eam in-

(7) N. 220. — (8) N. 221. — (9) Lib. 3. n. 221. v. Votum. — (10) Ibid.

gredi, et ad permanendum etiam in ea; aliter si egrediatur sine justa causa graviter peccaret: nisi intellexisset tantum de ea periculum facere. Ceterum esset justa causa egrediendi, si ibi inveniret talem vivendi modum, cui suæ vires pares non essent; aut ibi gravem et longum moerorem experiretur. Si vero etiam vovisset profiteri, tenetur etiam cum gravi suo incommodo id exequi; modo status religionis illi penitus intolerabilis non succedat. Advertatur etiam hic, quod quid vovisset religionem, si admissus non fuerit in monasteria provinciae, non tenetur extra eam proficisci. Et si est mulier, non tenetur egredi patriam, si in ea adsint Monialium monasteria (1).

35. Voti obligatio primo tollitur ex se, ob materiam mutationem, prout si eveniret aliqua nova, aut non prævisa circumstantia, quæ si præcognita fuisset, votum non fuisset emissum (vide n. 23.), aut si materia redderetur inutilis, aut impossibilis. Quod si votum potest adimpleri ex parte et commode, debet illi satisfieri (2). Secundo tollitur Superiorum auctoritate, irritatione timorem, communitatione, aut dispensatione.

36. Irritatio potest fieri ab omnibus qui habent potestatem dominativam, ut sunt parentes, tutores, prælati, mariti, et alii, ut dictum est n. 49.; et hoc etiam si vota essent futura, nempe nondum emissa a filio, pupillo etc., et licet non adesset causa sufficiens irritationis, saltem talis irritatio sine causa non est culpa gravis (3). Itaque pater, et avus paternus in patris deficientia, et etiam mater (modo non contradicat pater) possunt irritare omnia vota, tam impuberum (etiam in dubio an votum sit emissum ante vel post pubertatem), quam puberum, cum votum est reale, et si puber sit in ætate minori, modo tunc ætatis non ha-

(1) L. 4. ex n. 72. — (2) L. 3. n. 225. — (3) N. 227.

beat bona propria; quod si votum esset personale, etiam possunt illud irritare, cum illud esset in præjudicium domesticæ gubernationis. Idem dicitur de tutore, et curatore (4). Notandum quod, quando votum est emissum tempore impubertatis potest pater illud irritare, licet filius sit factus puber, modo filius non ratificaverit, sciens votum fuisse infirmum (5). Imo prælati religionum etiam si locales, dummodo a prælato superiore approbatum non fuerit votum, possunt irritare omnia vota (præter votum transeundi ad religionem strictiorem) suorum subditorum professorum; vota enim novitiorum possunt solummodo suspendi. Hoc etiam conceditur Abbatis (sed non dispensatio) a multis dd. uti sunt Suar., Bon., Fill., Salm., etc. (6). Advertendum tamen quod vota emissa ante professionem, omnia per illam extinguuntur (7). Item viri possunt irritare omnia vota uxorum, licet incommodo non essent familiae, aut matrimonio, ut valde probabiliter dicunt Sot., Sanch., Prado, Sal., etc. et etiam vota exequenda post mortem virorum, v. g. religionis, aut castitatis, ut dicunt Sanch., Soto, Salm. contra Nav. et Cajet. (8). Vota tamen facta ante matrimonium, non possunt irritari a viro; sed tantum suspendi in quantum illi essent incommodo (9). Vota autem virorum non possunt irritari ab uxoribus, nisi in quantum illi afferrent nocentem, ut esset votum longæ peregrinationis, et etiam votum non petendi debitum, quod ceteroquin respectu viri est irritum ex se, uti de materia inepta (10).

37. Notandum hic 1. quod vota subditorum probabilibus cum s. Thoma non sunt irrita ex se, sed valida, donec fiant irrita a Superioribus, quia subditi, licet debeant habere

(4) Lib. 3. n. 229. et 230. — (5) N. 238. — (6) N. 233. et lib. 4. n. 54. — (7) L. 3. n. 236. v. Non potest. — (8) N. 234. — (9) N. 236. — (10) N. 235.

voluntatem Superioribus subjectam, non tamen sunt illa privati (1). Notandum 2. Superiorem (ut pater, prælatus, aut maritus) posse valide irritare vota subditi, licet aliquando ea approbasset; etenim illenon potest, licet vellet, a se abdicam potestatem quam sibi concedit lex etiam naturalis. Dictum est *valide*, quia irritando illa sine causa justa, non excusaretur saltem a culpa veniali; sed non peccaret graviter: uti dicunt Soto, Suar., Bonac., Valent., Sporer, Peyrin. et alii (2).

38. *Commutatio* autem votorum potest fieri Ecclesiæ auctoritate saltem cum commutatio sit in opus aliquanto minus, aut dubie æquale; quia si esset evidenter æquale dicitur pater aa. ut Less., Bonacina, Sa, Salm., etc. probabile esse, quod possit fieri commutatio ab eadem persona, quæ votum emisit. Sed multo magis mihi arridet opposita sententia negativa, quam tenent Cajetan., Sanch., Soto, Suarez, Azorius, Laym. et alii cum s. Thoma, qui ait: *Quia commutatio est quidam contractus, qui perfici nequit absque consensu ejus, qui vicem Dei gerit in terris, scilicet prælati*. Præterea quia, posita promissione, magis gratum censetur esse Deo, ut vovens fidelis sit ei præstando rem promissam, quam aliam æqualem. Contra vero communiter admittunt dd. licite posse fieri commutationem ab eadem persona, si fiat in melius quia minus in meliori continetur (3). Et notandum hic 1. quod si commutatio fiat in opus melius, non requiritur causa, secus vero si in æquale. Ceterum pro justa causa sufficit minoratio periculi transgressionis, et etiam sufficit major propositio subjecti; et si opus est dubie æquale, sufficit notabilis molestia in eo adimplendo. Si autem opus commutatur in minus, est probabile cum Sanch., Tamb., Candido, (4) N. 234. — (2) n. 239. — (3) Lib. 3. n. 244.

etc. quod valide et licite adimpletur minus, si postea suppletur per aliud opus adjunctum (4). Notandum 2. quod qui habet facultatem commutandi vota, non potest commutare, nisi in æquale, ita ut non appareat excessus notabilis et manifestus, juxta communem sententiam (5). Probabilis est vota realia posse commutari in personalia, et personalia in realia, ut dicunt Suar. Less. Laym. Castropal. Salm., etc. (6). Notandum 3. quod, facta commutatione voti, semper licet reassumere primum opus, licet commutatio sit facta in melius, dummodo secundum votum non acceptetur tamquam novum, ut recte dicunt Castrop. Prado, etc. (7). Sed si unquam opus commutatam redderetur impossibile, quæritur an debeat reassumi primum votum? Affirmandum, si commutatio fuerit facta propria electione; secus si auctoritate Ecclesiæ: et id etiam si opus evasit impossibile propria culpa (8). Notandum 4. quod qui habet facultatem commutandi pro aliis (idem dicendum de dispensatione) habet etiam pro seipso, ut docent Suar. Azor. Sanch. Salmant. Prado, et alii ex s. Thoma, qui (9) expresse docet Prælatum posse secum dispensare in voto emisso (10).

39. Pro dispensatione requiritur major causa quam pro commutatione. Causæ sufficientes dispensationis sunt 1. Bonum communitatis, aut Ecclesiæ aut familiae, aut ipsius subjecti, exemp. g. si dispensatio judicaretur esse illi majori profectui, ut habetur ex *cap. Magne, de voto*; aut si ille esset in periculo gravi votum transgrediendi, aut si scrupulis vexaretur. 2. Difficultas notabilis pro adimplendo voto. 3. Imperfecta libertas et deliberatio. v. g. si quis vovisset cum erat impuber, aut impulsu iracundiæ, aut timore

(4) Ib. et n. 245. — (5) N. 247. — (6) Ib. Not hic. — (7) N. 248. — (8) N. 249. — (9) 2. 2. q. 485. a 3. — (10) L. 3. n. 249. v. ult.

intrinsico incussus, puta incendii, naufragii, etc. aut timore extrinseco, sed levi. 4. Si cessat causa impulsiva voti (1).

40. Notandum 1. quod si revera adfuit causa justa, sed Prælati dispensavit mala fide credendo eam injustam, dispensatio probabiliter est valida, etiamsi concessa sit a delegato, ut dicunt Suar. Pontius Sanch., etc. (2). Contra si Prælati dispensavit bona fide, sed causa certe non erat sufficiens, dispensatio est nulla juxta veriore sententiam; observa quod dictum est *Tract. II. n. 53.* Dictum est certe, nam in dubio possessio stat pro valore dispensationis (3). Si autem causa non esset sufficiens pro dispensatione, potest illa concedi, adjuncta aliqua commutatione (4).

41. Notandum 2. quod si votum fuerit emissum in tertii utilitatem, et iste tertius est determinatus, nempe talis pauper, talis ecclesia, votum non potest dispensari, quoties a paupere, aut a rectore illius ecclesie acceptatum est. Sed si votum emissum est pro paupere indeterminato, potest dispensari, licet ab aliquo paupere jam acceptatum fuisset. Et idem dicunt probabiliter multi dd. ut Cajet. Nav. Viva, Trullench. Henric. etc. (contra Suar. Sanch. etc. 9 de voto facto principaliter in Dei honorem, et secundo in tertii beneficium, habita particulari ratione, v. g. ipsius paupertatis, bonitatis etc., quia tunc pauper non acquirit verum jus ad rem promissam; aut si acquirit, illud acquirit dependenter a Dei voluntate, cui præcipue promissio facta est (5). Sed advertendum quod hoc intelligitur de promissis omnino gratuitis, non autem de mutuis, ut advenit in votis, et jurejurando perseverantiae, quæ fiunt in aliquibus congregationibus; nam illa tunc assumunt rationem

(1) N. 252. et 253. — (2) Lib. 1. n. 181. — (3) L. 3. n. 251. — (4) N. 254. — (5) L. 3. n. 255.

contractus, sicut superius dictum est n. 19 cum auctoritate Pontificis (6) Benedicti XIV.

42. Notandum 3. facultatem dispensandi voti, residere apud omnes Prælatos habentes jurisdictionem ordinariam in foro externo, ut sunt 1. Papa respectu omnium fidelium. 2. Episcopi respectu subditorum; sed non vicarii eorum, nec parochi, nec poenitentarii. Prælati regulares tam quoad processos, quam quoad novitios; licet votum emissum esset in sæculo (uti dicunt Lessius, Sanch. et Busemb.), saltem possunt suspendere illa, quatenus præjudicant novitæ statui (7). 4. Confessarii mendicantes, qui ex licentia suorum Superiorum possunt dispensare vota cum secularibus etiam extra confessionem, juxta communem Lessii, Nav. Pal. Salm., etc. (8) possunt etiam ipsi votum ad strictiorem religionem transeundi dispensare; quod concessum est etiam Episcopis, qui cum subditis qui habent votum ingrediendi in aliquam religionem, in qua viget observantia, possunt dispensare, ut ad aliam minoris observantiae se recipiant; Soto, Less. Sanch. Ledesm. Salm., etc. (9).

43. Omnes Superiores qui ordinaria potestate gaudent, possunt certe eam delegare cuilibet clerico, qui saltem sit prima tonsura initiatus. Et qui possunt dispensare cum aliis, possunt etiam eo modo cum seipsis; Suar. Sanch. Less. Bonac. Laym. Caj. Pontas, Castropal., etc. cum s. Thoma 2. 2. qu. 185. a 8. in fine (10) Quæritur autem hic, an qui delegatam facultatem habet dispensandi in votis, possit dispensare in juramentis? Prima sententia negat quia vinculum voti differt a vinculo juramenti; et ideo ex stylo Curie facultas quod juramenta specialiter conceditur; ita Lessius et Salmant. cum Azor. Sanch. Bonac. et Ledes-

(6) Ib. v. Notandum. — (7) N. 237. v. Quæritur in fine, et 256. — (8) N. 257. v. lmo. (9) N. 257. — (10) N. 256. v. Quæ-

ma (1). Secunda vero sententia affirmat, quia juramenta, licet sint vincula diversa a votis, in ordine tamen ad dispensationem, ut vota reputantur, argumento *L. tantum ff. de servo corrupto*, ubi: *Dispositum in uno æquiparatorum censetur dispositum in altero*. Illa autem specialis concessio ex stylo Curie fit ad majorem cautelam. Ita Cajelanus, Suarez, Pontius, Castr. Prado, Aragon. Trullench., etc. apud Salmant. cap. 3. n. 4. Quamvis autem hæc secunda sententia sit satie probabilis, tamen omnino prima est tenenda, quæ est æque probabilis; namque, cum obligatio juramenti jam contracta sit certa, et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum probabiliter validam.

44. An autem possit Episcopus dispensare vota peregrinorum, qui brevi morantur in diocesi, probabilior sententia est quod non possit, nisi per majorem anni partem illic moram faciat. Sed contraria non est improbabilis, ut dicunt Suar. Pontius, Castropal. Sanch. Salas, Salmant., etc. quia (ut dicunt) peregrini etiam brevi morando, subditi fiunt Episcopi loci, ita ut teneantur legibus illius loci, ubi reperiuntur. Vide quod dictum est *Tract. 2 n. 41 et 42.*

45. Notandum 4. dispensationem quinque votorum, nempe religionis, castitatis perpetuæ, trium peregrinationum ad terram sanctam, Romam ad limina apostolorum ss. Petri et Pauli, et Compostellam ad s. Jacobi templum, esse Papæ reservatam. In casu tamen urgentis necessitatis, et quando non est facilis recursus ad Papam, si in mora sit periculum gravis damni, vel spiritualis, v. g. violationis voti, scandali, rixarum, vel alterius peccati; vel damni temporalis proprii, aut alieni nimirum gravis infamiae mulieris, etc. tunc cum ipsis possunt

(1) Lessius I. 2. c. 42 n. 60. Salm. de juram. c. 3. n. 3.

dispensare iuxta communem, etiam Prælati inferiores prælaudati (1).

46. In pluribus vero casibus præfata vota non sunt reservata, et 1. Si sunt facta sub levi. 2. Si facta sunt ex timore extrinseco, licet levi, quia tunc jam non cum plena libertate sunt emissa. 3. Si votum non est perfectum: juxta materiam reservatam, ut in voto castitatis, esset votum non nubendi, non fornicandi, non petendi debitum conjugale; et etiam votum servandi virginitatem, quando vovens non intendit promittere abstinentiam ab actu venero, sed solum virginitatis præstantiam servare. Ita nec etiam est reservatum votum castitatis ad tempus, nec votum castitatis aut religionem vovendi, nec votum suscipiendi Ordines sacros, quia hoc non est votum castitatis jam emissum, sed emittendum. Ita nec votum proficiscendi Romam, nisi sit emissum causa devotionis, et præcipue ad visitanda ss. Apostolorum limina. Neque sunt reservata voti circumstantiæ, ut iter facere pedestre, vel mendicando, aut intra mensem (2). Nec est reservatum votum disjunctivum, v. g. aut religionis, aut jejunandi, et hoc etiamsi sit electa pars reservata, ut probabiliter dicunt *Salm.* cum multis aliis, quia etiam post factam electionem semper integrum est vovendi iterum eligere alteram voti partem (3). In voto autem castitatis post contractum matrimonium, possunt utique dispensare tam Episcopi, quam Mendicantes, licet votum sit emissum ante matrimonium (4).

47. Dubitatur 1. An sicut est reservatum votum, ita etiam sit reservatum juramentum castitatis? Alii dd. affirmant, quia promissio jurata includit votum, quod nihil aliud est quam promissio. Sed ab aliis melius respondetur, quod, cum quis in-

(1) L. 3. n. 258. v. Notand. 4. et 2. (2) L. 3. n. 258. Notand. 3. — (3) N. 224. v. Quær. — (4) L. 6. n. 1428.

tendit se duobus vinculis obstringi, nempe voto et juramento, utique remanet ligatus voto reservato; secus vero dicendum si quis voluerit se tantum vinculo juramenti obligare, volens ut suum propositum, seu promissio non obligatoria, per juramentum fieret irrevocabilis, non quidem voti obligatione, sed juramenti; quod ceteroquin inducit minorem obligationem quam votum, ut dicit s. Thom. (4); ita Sanch. Valent. et Lopez. Et in dubio an iste voluerit se obligare necne ambobus vinculis voti et juramenti, non intelligitur voto adstrictus, ex regula communiter accepta a dd. quod votum dubium non obligat (2).

48. Dubitatur 2. An cum commutetur votum reservatum, remaneat reservata etiam materia commutata? Alii affirmant; sed est communis sententia opposita, quia licet materia commutata secum afferat eandem obligationem primi voti, nihilominus cum non sit ipsa ex se reservata, neque inducit reservationem, quæ est addicta dumtaxat primæ materiæ (3).

49. Dubitatur 3. An votum pœnale, aut conditionatum in futurum castitatis, religionis, aut trium pere-

grinationum sit reservatum? Respondetur cum sententia probabiliori Tolet. Castropal. Prad. Salmant. Sanc., etc. negative, quia hujusmodi vota non procedunt ab affectu absoluto erga virtutem. Secus tamen dicendum, si votum fuerit factum ob merum affectum ad virtutem, et conditio tantum apponitur, ut votum valeat eo tempore, quo judicatur sublatum fuisse impedimentum, quominus possit observari, v. g. cum aliquis voveret religionem sub conditione *si mater obierit*: nam ille tunc revera movetur jam ad votendum a desiderio perfectionis; sed quia non potest illud exequi, ne matrem derelinquat, ideo apponit conditionem, quæ in rigore non est conjunctio conditionalis, sed potius adverbium temporis significans *quando* (4).

50. Dubitatur 4. An Papa possit dispensare in votis clericorum in Sacris, et Religiosorum? Quo ad clericos probabilius est cum s. Thoma et communiori, quod possit; modo adsit causa urgentissima (5). Dictum est clericorum, sed non jam sacerdotum, ut vult communis sententia (6). Et sicut potest cum clericis, ita etiam probabilius est posse cum Religiosis (7).

TRACTATUS VI.

DE TERTIO PRÆCEPTO DECALOGI

CAPUT I.

DE OBLIGATIONE TERTII PRÆCEPTI MEMENTO ETC.

1. An hoc præceptum hodie sit ecclesiasticum, an divinum, et an obliget infidèles.
2. Qui peccat die festo, etc.
3. Quis potest instituere festa.
4. Obligatio concionem auscultandi.
5. Obligatio concionandi.
6. Quinam pueri, etc.

1. Antequam progrediamur ad videndas obligationes particulares, quas hoc tertium præceptum inducit, plura

(1) 2. 2. q. 89. a. 8. — (2) L. 3. n. 259. v. in dubio. — (3) L. 3. n. 260.

prænotanda sunt. Et i. quod tertium præceptum, quoad debitum honorandi Deum in aliquo vitæ tempore per aliquem cultum, illud erat, et est divinum, et naturale. Sed quoad tempus præscriptum die sabbati in veteri Lege, et dominica in nova, erat caremionale, et nunc est ecclesiasticum, juxta communem s. Antonini, Navar. Azor. Suar. Cajet. Sanchez, Salmant. Carden. et aliorum cum s. Thoma (8), et Catechis.

(4) N. 261. — (5) L. 6. n. 1059. — (6) Ibid. (7) — L. 3. n. 256. v. Quaritur. — (8) 2. 2. qu. 122. a. 4. ad 1. et 4.

rom. (1). Stante hoc infertur, quod quamvis Ecclesia non possit generaliter dispensare huic obligationi exhibendi Deo aliquem cultum, potest nihilominus mutare, et etiam dispensare observantiam dominicæ, et aliorum festorum assignatorum, ut patet ex cap. *Licet de feriis* (2). Ex hoc infertur etiam probabile esse, vetitum non esse imponere opera servilia infidelibus, qui sunt extra, ideoque non subditi Ecclesiæ.

2. Notandum 2. Quod juxta sententiam etiam communem s. Thomæ (3), s. Antonini, Soti, Coninch., Sanch., Salmant., Covar., Bonac., Fillic., etc. in hoc tertio præcepto desideratur, sed non imponitur cultus internus per actus charitatis et contritionis, ut volunt aliqui. Tantummodo præcipitur cultus externus audiendi Missarum, et abstinendi ab opere servili in diebus festis: etenim licet sanctificatio animæ sit finis præcepti, attamen finis præcepti non cadit sub præcepto, ut docet communis sententia cum s. Thoma (4), qui ait: *Non enim idem est finis præcepti, et id de quo receptum datur*. Et id confirmat Catechismus rom. (5) dicens: *Hoc legis præcepto externus ille cultus, qui Deo a nobis debetur, præscribitur*. Et hac ratione cum laudato s. Thoma (6) et communi Nav., Soto, Silvest., Cajet., Suar., dicimus verum non esse (uti volunt aliqui) die festo peccantem duplex committere peccatum (7).

3. Notandum 3. Episcopus posse festos in honorem alicujus Sancti (non vero Beati) statuere, ut habetur ex cap. *Conquestus de fer.*, modo sint consentientes clerus et populus (8).

4. Notandum 4. In diebus festis (ex se loquendo) non adesse obligationem concioni interesse, nam in cap. Sa-

(1) 3. prin. 3. præcept. dec. n. 6. et 19. — (2) L. 3. n. 263 et 265. — (3) 2. 2. q. 122. a. 4. — (4) L. 2. qu. 100. a. 9. ad 2. — (5) Part. 3. de tertio præcepto n. 4. — (6) In 3. sent. dist. 37. q. 1. a. 5. q. 2. ad 1. — (7) L. 3. n. 273. — (8) N. 266.

cerdotes, dist. 1. de consecr. aliud non præcipitur, nisi ut episcopi et parochi in dominicis et solemnioribus festis sermocinentur per se, vel per alios idoneos et ut in quadragesima saltem ter in hebdomada habeant concionem, cum ibi subjungitur: si ita oportere duxerint, Dictum est, *ex se loquendo*, cæterum rudes, qui Mystera principalia, aut res necessarias saluti ignorant, utique ipsi tenentur concioni interesse, aut potius catechismo (9).

5. Hic advertere juvat a Tridentino sess. 3. c. 2. de ref. imponi episcopis, ut concionentur diebus dominicis et solemnioribus per se, vel per alios, si ipsi impediti fuerint. Hanc ipsam obligationem (quæ procul dubio est gravis, pariter imponi parochis legimus his verbis: *Ut plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ammonendoque cum brevitate, et facilitate sermonis vitia quæ eos declinare et virtutes quas sectari oporteat*. Ex quo rationaliter dicuntur parochi, Salmant. et Rone. graviter peccare parochum, qui per integrum mensem, aut per tres interruptos omittit concionari (10). Hoc tamen procedit de parochis, non autem de episcopis, qui ex consuetudine communi legis interprete, non tenentur tam frequenter prædicare, ob tot negotiorum genera quæ expedire debent, et aliis facile committere nequeunt, ut committi potest munus concionandi: cui jam episcopis posse per alios, si ipsi impediti fuerint, a Concilio permittitur satisfieri (11).

6. Notandum 5. Huic tertio præcepto teneri omnes fideles usu rationis pollentes, qui quidem ordinarie septennio adipiscitur. An autem pueri qui ante septennium pervenerint ad discretionis ætatem, teneantur? Vide quidquid dictum est Tr. 2. n. 37.

(9) N. 308. — (10) n. 269. — (11) L. 4. n. 127. dubit. 3. v. Hinc.